



Martinus Rossheimius apud Belgas obscurō genere natus, sua fortitudine effecit, ut non immeritō inter praeclaros Germaniæ militū ducto res numeretur. Is ab adolescentia militiæ castra se- cutus, magnam rei bellicæ laudem acquisiuit. Itaq; cum Vuilhelmus Clivuq; dux pro Gallo contra Cœ farem esset, Martinus copijs conscriptis Brabantia inuasit, & magnum in colis terrorem artulit. proximum etiam erat, ut Louanium & Antuerpiam ce- pisset, si tormenta & res ad ea necessarias secum ha- buisset. Inde progressus, quacūq; iret omnia popu- latur, & pecuniam extorquet. ui etiam patefacta uia, filio regis Aureliano principi Carolo, qui Lu- cemburgicæ regioni bellū tunc faciebat, mense Augusto sese cōiunxit. Cum autem postea Clivensis dux Cæsari reconciliaretur, atq; pax cum Gallo sanci- retur, Rosemus ad Cæsareanos magno stípendio cōductus rediit, & à regina Maria Cæsarisi sorore, quæ tum in Belgia rerum potiebatur, suis copijs præfe- ctus fuit. Ab eo tempore Cæsari fidissimus extitit, & eius nomine res multas fortiter gessit. Cum etiam postea anno 1552 Heinricus rex Gallie in Germaniā ad Rhenum usq; profectus esset, Rossheimius cum Belgicis copijs Cam- paniaæ Gallicæ fines longè lateq; incēdijs uastabat, & Astenæum oppidum Mo- sae uicinum, Lotharingicæ ditionis, nuper à Gallis occupatum recepit. hæc e- tiam præcipua causa fuisse putatur, quod rex suo exercitu in Galliam redierit, magno Cæsaris emolumento. Cum hoc modo Martinus magna authoritate inter Belgas uiueret, tādem reginam Mariam Antuerpiam cum copijs comi- tatus, ibidem aliquot motus compescuit, & paulo pōst ibidem inter uiuos a- gere desijt, anno salutis 1555. Ioan. Sleid.